

potest ; hinc facile patet, quod τῷ ἀπαξ v. 4. opponatur τὸ πάλιν v. 6. et quod vocabulum prius hic propriam suam tueatur notionem, et denotet *semel*. Laudandus ergo Syrus, qui nostrum ἀπαξ transfert $\zeta\alpha\ \iota\ \rho\omega$ *unum tempus*. Hae adductae rationes efficiunt, ut calculo meo qualicumque eorum, quos ceteroqui valde veneror, nondum comprobare possim sententiam, qui docent, vocem ἀπαξ hic notare *plene, perfecte*. Est haec sententia B. SEB. SCHMIDII ad h. l. p. 599. Cel. CHRISTOPH. WOLLII in *Diss. de vera fictaque particularum emphasi*, REV. WOLFII in *Cur. Ph. ad h. l. T. III. p. 662*. B. CHRISTIANI STOCKII in *Interprete graeco* §. 208. p. 236. alios huius sententiae patronos ut iam silentio praeteream.

§. XII.

Jam quinam hic dicantur φωτισθέντες est euincendum. Verbum φωτίζειν, quod immediate a Φῶς *lux*, mediate a Φάω *luceo* deducitur, proprie ac formaliter idem est ac *illustro, lumine perfundo, corpora in luce pono, ut variae eorum partes a se inuicem possint distingui*; occurrit vocabulum hac propria sua notione e. g. *Luc. XI. 36. Apoc. XVIII. 1*. Eiusmodi illuminationem corporum in hoc nostro loco haud quaquam innui, quilibet absque vlla probatione concedet facile, ergo de illuminatione animorum sermonem esse palam est. Cum Apostolus de animis hominum hic vsurpet vocabulum, quod proprie de corporibus luce circumfufis vsurpari consuevit, facile est ad colligendum, eum talem in animis hominum significare velle effectum, qualis in corporibus obtinetur, vbi lux illis adfertur; iam vero hoc potissimum lux praestat, si corporibus circumfunditur, ut ea, eorumque partes distincte a se inuicem perspice-

re,